Della Elezione
dei Pontefici

ANTONII BVCCAPADVLII
DE PONTIFICE MAX. DECLARANDO.
AD AMPLISSIMOS S.R.E. CARDINALES ORATIO

Habita in Basilica B. Petri VII. *Id. Septemb.*

ANNO MDXC.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Ex Officina Marc'antonij Muretti.

MDXC.



SAEPE mecum ipſe cogitãs miratus ſum, Patres Ampliſſ. quid cauſæ ſit, cur, cum cæteris in rebus, ſiue illæ conſteat natura, ſiue humana induſtria, atq; opera exiſtant, cõtrariorũ contraria ſint cõſequentia, non idem quoque accidat in dicẽdi facultate? Nam ſi vt quidque obſcurũ maxime eſt, ita maxime difficile explicatu eſt; certe clariſſimis in rebus explicatiſſima eſſe deberet oratio. Nũc autẽ experimur eã hærere, non minus in rebus apertiſſimis, quã in abditiſſimis. Credo, quia in his argumentis deficimur, in illis multitudine, & copia retardamur, ac pœne obruimur. In hac tamẽ cõmuni vtriſq; de rebus dicẽdi difficultate illud intereſt. Habet reconditarũ, inuolutarumq; rerũ, quod ad earũ natura fert explicatio magnã ingenij cõmendationẽ: in medio poſitarũ patentiũq; exquiſitis rationibus cõfirmatio iuſtã tardi, ineptiq; hominis reprehenſionẽ, quam ne is quidẽ poſſet effugere, qui vellet præclara aliqua de re, eademq; à cõmuni intelligẽtia remota, apud eos dicere, quibus res illa eſſet perſpecta, & cognita, perſpecta, & cognita perſpectior multo quã huic ipſi, qui diceret. Hæc mihi verenda magnopere eſſet reprehẽſio, Patres Ampliſs. Quid enim facilius eſt quã videre, qualis Catholicæ Eccleſiæ exoptãdus ſit Põtifex? qui ſit rerũ ſtatus? quæ ſint veſtræ partes in deliberãdo, quid ſpectandũ, quid laborãdũ vobis maxime ſit? quã ſint Catholici omnes metu ſuſpẽſi, quæ ſint eorũ preces, quæ vota? Quid autẽ difficilius, quã tantis de rebus, pro earũ dignitate diſſerere? Quid ineptius, quã apud vos Patres diſſerere? qui propter excellentem doctrinã, de rebus difficillimis, max miſque veriſſime iudicatis, propter ſingularẽ prudentiã, quid quaq; in re facto opus ſit tenetis: propter eximiam pietatem, nullum in rebus optimis cuiuſquã cohortationẽ in locũ relinquitis. Tardus igitur, ineptuſq; fuiſſem, hoc dicẽdi munere ſuſcipiendo, niſi iuſtã haberem excuſationẽ neceſſitatis eorũ voluntati obtẽperãdi, quibus negare nullo modo poſſem. Sed videndũ mihi etiã, atq; etiã eſt, quid mei in parendo officij ſit; ne qui recuſando cõtumaciæ crimen vitare non potuiſſem, dicẽdo in homi

nis

nis parũ considerati reprehensionẽ incurram. Temperanda igitur mihi oratio est; ac tali quadam dicendi ratione vtendũ; non vt hæc, quæ proposui capita persequar quo ad possim diserta, & copiosa oratione; sed vt exponam cur ea tantum indicẽ, leuiterq; attingã, ac pęne silentio prætereã. Sic enim & illorum voluntati inseruiam, qui me huc necessitatis impulerunt, & non minimam mei muneris, magnam autem, vt par est, loci huius amplitudinis rationem ducam.

Versatur nunc vestra cura, ac diligẽtia, in declarãdo Põtifice Maximo, hoc est, in re omniũ maxima, omniq; ex parte, si vere volumus cogitare, tũ vobis ad deliberandũ, tum ei, quem declarabitis ad sustinendũ longe difficillima. Solet autẽ propositæ, susceptæq; rei magnitudinis cõsideratio animũ excitare, metuq; inijcere ne quid forte cõmittatur, omittaturue secus quã res ipsa exposcat. Cõstat porro Põtificem Max. sustinere munus Christi institutione vetustissimum; dignitate summũ; curatione nullis orbis terrarum regionibus circumscriptũ; stabilitate cõtra omnes machinas satanæ cælesti præsidio munitum; diuturnitate nullis sæculorum ætatibus interiturum; potestate Deo proximum: his autem omnibus de causis augustissimum, sanctissimum, omniq; honore, & veneratione prosequẽdũ. Nõ necesse habeo hæc, quæ paucis præstrinxi dilatare; ipsi enim optime omnium nostis, qualia, quantaq; sint, quam propemodũ infinita. Qualẽ verò Pontificẽ à vobis Ecclesia requirat, perfacile est dicere vniuerse Talẽ requirit, qualem res ipsa exposcit, hoc est eũ, qui tanto muneri sustinẽdo, gubernando, gerendo idoneus maxime sit. Verũ hæc vulgaris quædã, & adumbrata notitia est. Vos autẽ Patres perfectissimas quasq; Põtificis virtutes spectare certũ habemus: neq; cõiectura aberrabimus, si inter ea, quæ vobis suggerit sanctus Dei timor, & caritas, quæ sine dubio maxima esse oportet, existimabimus talia vos etiã cũ vestris animis cogitare. Eum maxime summo hoc loco, & munere dignũ esse, maximeq; idoneũ, cui Christi grex cõmittatur, qui cũ doctrina, prudentia, pietate excellat, virtutẽ illam in primis colat, quã summi, sanctissimiq; viri cæterarũ virtutum fundamentũ, matrem, ma- B. Chrysost. in Matt. ho. 15. to. 2.

 gistrã,

B. Bernard. to. 1. in nat. dom.
B. Greg. lib. 23. mor. c. 7.
B. Leo. serm. 7. in Epiph.
B. Greg. lib. 4. epist. c. 80.

gistrã, custodem appellant, humilitatẽ dico, qua vna statuũt perfectam totius Christianæ sapientiæ normã cõtineri. Qui in hac ipsa virtute erecto, celsoq; animo sit, vt magnã loci, munerisq; sui primũ ipse rationẽ habeat, tũ à cæteris haberi velit, sic vt, quod ait B. Gregorius, neq; sit humilitas timida, neq; erectio superba. Qui cogitet quã non modo nõ appetendus sit Pontificatus; sed omni etiã conatu fugiendus: cũ intelligat quãta res sit in maximis fluctibus, ac procellis gubernare, neq; se tẽpestatibus abripi sinere, sed cõtra niti, ac velis remisq; contendere, cursumq; recta ad portũ tenere: quã verendũ sibi illud sit, quod interdum quærebatur Põtifex Innocentius. Veni in altitudinẽ maris, & tẽpestas demersit me quã difficile sit in tanta rerũ procuratione, tanta præditũ potestate, tã multa necessario alijs mandantẽ, alijs tribuentẽ, alijs negantẽ, omnia Dei voluntatis gloriæq; adhibita ratione administrare, eo cuncta dirigere; id vnũ spectare, nunquã inde oculos deijcere: quantopere infinita illa curatione, Ecclesiarumq; omnium solicitudine distrahatur animus ab illa voluptate, qua interdũ fruitur, dũ omnibus curis solutus cœlestes, diuinasq; res cõtemplatur: quã optabilior sit vita priuata, quã hæc tam multis molestijs referta: quã fallantur qui in Põtificatu quietem, & tranquillitatem quærunt; cũ oporteat Pontificẽ vnũ pro omnibus vigilare, & laborare. Qui itẽ cogitet quãta sibi sit Christi pauperum cura suscipienda. Hęc est enim vera gloria, nõ imperitæ multitudinis sermonibus, sed perpetuis, vt sapiẽs ille ait Ecclesiæ sanctorũ laudibus celebrata, atq; in Deo fixa, stabilita sunt, inquit, bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorũ. Qui igitur statuat, Christi pauperes cõplectendos sibi esse, tũ misericordia, tũ benignitate, quod fecisse olim Gregorium illũ magnũ legimus, proximeq; alterũ facientẽ vidimus; O nostrũ Gregoriũ egẽtiũ patrẽ, vtinã tui simili perfruamur. Qui deniq; præclaras quasdã alias, magni illius virtutes, quas hic noster etiã coluit, imitetur; quas vt ille multas vno facto, sic ego breuissima narratione cõprehendã: Miserat ei nescio quid muneris Messana eius ciuitatis Episcopus, scripseratque vt conijci

Innocen. 3. epist. 178. ad Abba. & cõuen. Cistercien.
Psal. 68.
B. Greg. lib. 5. epist. 5.
B. Greg. episto. lib. 6. ca. 169.
Eccle. 31.
B. Greg. ep. lib. 1. c. 64.

potest,

potest,sed id mittere Romano Pontifici vetere Ecclesiæ suæ consuetudine.Noluit Gregorius, vt erat vir pari humanitate ac sanctitate præditus reijcere, ne quid forte Episcopus molestiæ caperet,quasi parũ gratũ Pontifici munus misisset. Quid ergo?accepit ille,nec multo post vendidit,prætiumq; remisit cũ epistola in hanc sententiã. Si eas consuetudines quæ essent Ecclesijs ad ferendũ graues, quantũ quidem ad suas rationes attineret, remittere. Si quid clericis tribui mos esset,eum morẽ manere velle; sibi munera ab eo mitti, qui se expectare deberet, æquũ non esse. Ne quid amplius mitteret prohibere. Sic ille,vos suo quamq; rem momento ponderate.Hæc de Pontificis virtutibus à me breuiter collecta, aliaq; permulta in hoc genere à sanctis Patribus fuse,diserteq; tractata,sæpe vos ex ipsis fontibus hausisse,magnaq; cũ voluptate nunc degustasse certũ habeo Patres amplissimi,quãobrem illa animi vestri causa magis, quã quod esse necesse arbitrarer,attingenda existimaui. Dicerẽ nunc vniuerse de Catholicę Ecclesię statu,nisi omnes videremus, tam multis catholicis olim prouincijs,partim impiorum vi, atq; armis oppressis,partim sponte sua,o summã miseriam, sponte sua,dum audiunt voces alienorũ,quas non secus,ac certissimas pestes vitare debuissent, deserta Ecclesia perditis quanta iactura sit facta. quantopere de his omnibus recuperandis, reuocandis, sanandis, deq; Christi nomine, & gloria quã latissime propagãda laborandũ sit: qui motus nuper sint excitati,quã ferueãt,quã graui in periculo, quã præsenti res sint,quã multa sint,cũ in cæteris Ecclesiæ locis,tum in hac ipsa vrbe,cõstituenda, corrigenda, tollenda quantũ ad hæc omnia præsidij situm sit in vnius Pontificis sapiẽtia, & sanctitate tantũ nimirũ,vt hoc vno præsidio sublato,spes melius aliquando fore iã reliqua nulla sit.Hinc facile apparet,quod tertio dicendi loco positũ erat, quæ sint vestræ partes tã graui in re,tam necessaria,tam diuina. quantopere de beatis hoc vnum dies, noctesq; agere,huc cogitationem industriamq; omnẽ conferre,hoc omnibus prudentiæ,diligentiæq; vestræ neruis contendere, vt optimũ Ecclesiæ Pontificem detis.Impudentissimus sim si vos cõmonendos,aut co-

hortan-

hortandos censeam, quos certũ habemus nihil aliud velle, & conari. Sed non dissimulabo, quid maxime pertimescamus. Facit enim vestra singularis humanitas, in meq; attente audiendo benignitas, vt audeã paulo liberius exponere, quid cũ in omni de republica deliberatione, tũ in hac maxime, omni studio sit cauendũ, est enim, quod cauendũ cẽseo, rectis consilijs maxime aduersariũ. Quid ergo illud est? Ne quis forte in deliberando adhibeat in consiliũ suarũ rationum cogitationẽ. Nihil enim potest fieri peruersius, nihil deterius quã cum de rebus publicis deliberatur priuatæ vtilitatis calculis subductis, nihil veri, falsiq; iudicium conturbat magis, Vt, etiam si quis maxime cupiat recte iudicare, tamẽ hac tabe correptus, putet rectũ id esse, quod est re sua esse intelligat, quod certe ea liber nunquã putaret. Oportet in republica gubernanda, priuatas cuiusq; rationes e cõmunibus pendere, non e priuatis cõmunes. Hoc vero peruerso ordine, scitis quid interdũ acciderit æquitissimo Dei iudicio, vt in quo quisq; maxime rerum suarũ spem locatã habuisset, cũ ea adductus spe, se se ad illius partes adiunxisset atq; omni cõtentione pugnasset, & peruicisset eo iam ad gubernacula admoto, omni illa de spe decideret, sentiretq; se neq; publicis, vt oportuit, neq; suis, quod minime debuit, priuatis rationibus cõsuluisse. Hoc vnũ modo absit, reliqua ex sententia cõsequentur. Aberit autem. Vos enim in tanto rerũ, ac temporum motu, & conuersione, in tanta Ecclesiasticæ disciplinæ omnibus in locis perturbatione, ac pęne interitu, in tanta morum vbiq; deprauatione, vestra præstanti pietate dignã, atq; hoc rerum statu per necessariam cogitationẽ suscipietis. Ardet bello Gallia, hoc est optima Christianæ reipublicæ pars. Obsidetur à Duce Sabaudiæ Catholicæ religionis propugnatore, atq; assertore inuicto Geneua, hoc est teterrima omnis impietatis sentina. Facta est alienis vectigalis, multis ante calamitatibus afflicta prouincia Auenionensis vetus sedis Apostolicæ patrimonium. Cæteras Christianæ reipublicæ necessitates, malaq. omnia nominatim persequi, & exaggerare infinitum esset, minimeq; necessarium, vos enim ea cogitatione perspicitis, tacitoq; sen

su com-

ſu cõmouemini. His neceſſitatibus auxilium ferendum, his vulneribus, his malis, tã multis, tam grauibus, tam exulceratis medicina à Pontifice eſt adhibenda. Veſtræ igitur nũc fidei, ſapientiæ, poteſtati, in declarando Põtifice cõmiſſum eſt quidquid poteſt dignitatis, ſalutiſq; expectari. Vos Patres contendetis, vt Eccleſiæ rebus proſpiciatis, nos expectatione ſuſpenſi erimus, vtrique autẽ neceſſario metu anxij. Etenim maximarum rerum deliberatio, maximas curas metuſq; afferat neceſſe eſt tum iis, quorum conſilio, & prudentia decernuntur; cum cæteris omnibus, ad quos eæ res pertinere poſſunt. Quid ergo nos potiſſimum angimur? Cogimur eadem illa ite are, vos timori noſtro ignoſcite. Hoc vnum inquã pertimeſcimus, ne quid ſatan perpetuus Chriſti, Eccleſiæq; hoſtis turbet: ne ve obſtet quominus eum Põtificẽ habeamus, quo magnopere indigemus. Id vero efficeret, ſi poſſet vllum apud aliquẽ veſtrum, locum inuenire priuatis rationibus conſulendi. Scit enim hoſtis teterrimus inimicum hoc Deo conſilium eſſe, à carnis nimirum, quæ Deo inimica eſt prudẽtia profectum, efficereque vt fruſtra, illius opem, quod nunc fecimus imploremus. Quid enim in ſacro ſancto, quod nunc per actũ eſt myſterio precati ſumus? Vobis autem Patres in iſta tam graui deliberatione precabamur. Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignẽ accẽde. Videtis certe aliud eſſe amoris tui, aliud cuiuſque ſui, Res autem ſuas priuatas laborare, eoq; cõſilia referre, eſt hominis ſeipſum diligentis. Deus caritas eſt, requirit igitur in nobis eam in primis virtutem, qua nos ei proxime ad ſimilitudinem accedimus, noſtram, ſcilicet, caritatem. Caritas autem, non æmulatur, nõ eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt. Immo vero, quod Apoſtolus non ſuadebat modo, ſed etiam faciebat, req; ipſa comprobabat anteponit ſuis aliena, modo inde creſcat Dei gloria. Quanquam, quæ poteſt eſſe iſta, in conſtituendo Eccleſiæ bono ſuarum rerum ab alienis diſtinctio? Quo de re totius Eccleſiæ eſt, idem quoque è re cuiuſque maxime eſt. Cæteris in rebus liceat iſtã ſecernere, in declarando paſtore, & principe nihil poteſt eſſe vtilius ſingulis, quam quod

Rom. 8.

1. Ioan. 4. B. Chryſoſt. in comm. S. Paul. to. 3. 1. Cor. 13. Philipp. 1. B. Ambr. in eum locum.

vtile

vtile est vniuersis. Conabitur satan contraria omnia suade-
re. Sed speramus fore, vt quo quisque sentiet magis tales si
bi cogitationes à callidissimo hoste immitti, alijs scilicet ra
tionibus cōtineri priuatas vtilitates, alijs publicas, quo gra
uius apertiusq; se his cogitationibus peti intelliget, eo ipse
2. Cor. 3. se colligat magis, eoq; acrius in Christi causam incūbat, di
uinamq; opē, (quid enim ab ea deserti possumus recte, aut
agere, aut cogitare?) imploret. Implorabimns nos quoque
tum quotidianis supplicationibus, tum priuatis etiā preci-
bus huius sanctæ Basilicę sacerdotes, cæterique omnes, qui
astant, quæ prope, qui longe absunt, omnium ordinum pie-
tate, & sanctitate præstātes viri, per hos omnes dies, quibus
vos collecti, inclusiq; hac vna in re occupati eritis, vestrāq;
virtutē nostris vocibus prosequemur. Aderit vestris conati-
bus, piorumq; omnium precibus Christus, qui si forte erit
nobis iratus, (agnoscimus enim omnes nostra crimina, vere
Ose. 13. murq; illud Prophetæ, Dabo tibi regē in furore meo, & au-
feram in indignatione mea, dat enim iratus Deus malū prin
cipem, iratus item aufert bonum,) si forte igitur erit nobis
iratus Christus Dominus, & Deus noster, aderit Maria, ma
ter, & virgo sanctissima, quæ eū cōspexit Ecclesiæ suæ, cuius
causa nunc maxime agitur amore comprehensum, cæsum,
dilaniatum, cruci clauis affixum, extinctum, nec sic etiā sa-
tiata inimicorum crudelitate, transuerberatum, quem e cru
ce depositum cōplexa, in sinu, gremioq. (quod illa, quā cer-
nimus excellentis artificis imago nos admonet) collegit, cu
ius vulnera demirata, deosculataque lacrymis compleuit,
abluit. Hæc filium orabit, obsecrabitq; per eos omnes quos
ille pertulit cruciatus, perq; eum doloris sensum, quem non
minorem ipsa animo, quam ille toto corpore accepit, vt ve-
stris mentibus lumen præferat, ostendatq; quem potissimū
eligere debeatis. Impetrabit à tali filio, talis Mater, nosque
vestro studio, summoque illius beneficio optimo Pontifice
fruemur, immortalesque eius bonitati gratias agemus.

F I N I S.

